

*Der folgende Text soll in angemessenes Deutsch übersetzt und durch die Bearbeitung der unter II. gestellten Aufgaben sprachlich erläutert werden.*

### **I. Übersetzung**

1 Omnia, patres conscripti, quae de aliis principibus a me aut dicuntur aut dicta sunt, eo  
2 pertinent, ut ostendam, quam longa consuetudine corruptos depravatosque mores prin-  
3 cipatus parens noster reformet et corrigat. Alioqui nihil non parum grate sine compara-  
4 tione laudatur. Praeterea hoc primum erga optimum imperatorem piorum civium officii-  
5 um est, insequi dissimiles. Neque enim satis amarit bonos principes, qui malos satis non  
6 oderit. Adice, quod imperatoris nostri non aliud amplius ac diffusius meritum est, quam  
7 quod insectari malos principes tutum est. An excidit dolori nostro modo vindicatus Nero?  
8 Permitteret, credo, famam vitamque eius carpi, qui mortem ulcisceretur, nec ut in se dicta  
9 interpretaretur, quae de simillimo dicerentur. Quare ego recte, Caesar, muneribus tuis  
10 omnibus comparo, multis antepono, quod licet nobis et in praeteritum de malis impera-  
11 toribus cottidie vindicari et futuros sub exemplo praemonere nullum locum, nullum esse  
12 tempus, quo funestorum principum manes a posteriorum execrationibus conquiescant.  
13 Quo constantius, patres conscripti, et dolores nostros et gaudia proferamus, laetemur his,  
14 quibus fruimur, ingemiscamus illis, quae patiebamur.  
15 Simul utrumque faciendum est sub bono principe. Hoc secreta nostra, hoc sermones, hoc  
16 ipsae gratiarum actiones agant meminerintque sic maxime laudari incolumem  
17 imperatorem,  
18 si priores secus meriti reprehendantur. Nam cum de malo principe posterius tacent,  
19 manifestum est eadem facere praesentem.  
20 Et quis iam locus miserae adulationis manebat ignarus, cum laudes imperatorum ludis  
21 etiam et commissionibus celebrarentur, saltarentur atque in omne ludibrium effeminatis  
22 vocibus, modis, gestibus frangerentur? Sed illud indignum, quod eodem tempore in  
23 senatu et in scaena, ab histrione et a consule laudabantur. Tu procul a tui cultu ludicras  
24 artes removisti. Seria ergo te carmina honorque aeternus annalium, non haec brevis et  
25 pudenda praedicatio colit; quin etiam tanto maiore consensu in venerationem tui theatra  
ipsa consurgent, quanto magis de te scaenae silebunt.

**Plinius, Panegyricus 53,1 - 54,2**

### **II. Sprachliche Erläuterungen**

1. Ordnen Sie den vorliegenden Text historisch und sprachgeschichtlich ein!
2. Charakterisieren sie die stilistische Eigenart des Textes nach gattungsspezifischen Merkmalen!

3. Erklären Sie etymologisch die Wörter **vindicare**, **manes** und **secus**!